

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Tractatus ascetico-theologicus de religione s. de statu religioso -
Ettenheim-Münster 100

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput quartum

[urn:nbn:de:bsz:31-110938](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110938)

34. te; aut ipsis à locis sanctis Religionis recedendum est.

Capitulum Quartum.

59. De Novitiatu.

Circa Novitiatum alia requiruntur ex parte suscipientium; alia ex parte Novitii suscipiendi; alia denique sunt necessario observanda in Novitiatu. Hæc distinctis §§. exponimus.

§. Primus.

Expenduntur conditiones requiritæ ex parte suscipientium ad Novitiatum.

60. 1^a Conditiō ex parte suscipientium est legitima potestas recipiendi ad probationem, ac postea ad Religionem profitandam. circa quam potestatem. Sit.

Conclusio 1^a.

61. Ad validam Novitii susceptionem probabilis est, necessario requiri Abbatis simul et Capituli secundum majorem illius partem consensum. Ita communior Theologorum.

Prob. Quia in gravioribus negotiis Abbas tenetur requirere consilium et consensum Capituli vel sanioris ejus partis, juxta Cap. Quantò. et Cap. Novit. De his que fiunt à Prelat. sine consensu p.

4

Atqui admissio ad Novitiatum est unum ex gravioribus negotiis, ut patet. Ergo. Id quoad Nos Benedictinos etiam constat ex c. 3. Reg. Et sane hæc est praxis omnium fere Ordinum Religiosorum.

62. 2^a Conditiō, saltem ad licitam et circumscriptam susceptionem Novitii, est informatio instituenda super vitâ, moribus, qualitatibus, parentibus ejus, &c. Ita habet Constitutio Sixti V. qua incipit: Cum de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus. De quâ dubitari potest, num sub gravi obliget. pro quo Sit.

Conclusio 2^a.

63. Lex hujus informationis instituenda videtur obligare sub gravi.

Prob. Quia Sixtus V. gravissimas poenas eis intenu-
tat, qui eam temerè intermittunt, videlicet priva-
tionem vocis activae et passivae, dignitatum, quas
possident, et incapacitatem possidendi in posterum.

Præterea ex ejus defectu gravissima inconveni-
entia emergere possunt. Cæterum de hac in-
formatione breviter, sed nervosè disserunt Sta-
tuta nostra Congregationis in Cap. 50. Sac. Reg.
quæ consuli poterunt.

Conditio 3^a. ad licentiam Novitiatûs, ut et Professio 64.
nis, est, ut absque Simonia labe fiat. Id patet ex
Cap. Inoniam. ac specialiter ex Extravag. Sanè 1.
De Simon.

Diximus, ad licentiam; nam verius
est, ut observant communiter Theologi, quod Professio
Simoniacæ susceptorum non sit invalida, conse-
quenter taliter susceptus ad seculum redire, et nu-
bere non valeat, verum, mandante legitimo Superio-
re, ad aliud Monasterium transire debeat, eò quod,
licet sit et manere debeat Religiosus, tamen firmum
et stabile jus præbendæ Regularis seu portionis or-
dinariæ, vocisquæ activæ et passivæ in Capitulo, quod
est jus ad instar præbendæ Canonice, non æquivat in
eo Monasterio seu conventu, ubi Simoniacæ suscep-
tus fuit; prout observant Theologi. Vid. Cap. Veni-
ens. De Regular. Cap. Inondam. De Simon.

Committitur autem Simonia, quando aliquod tem-
porale petitur vel datur pro spirituali. Unde sit

Conclusio 3^a

Simoniacum est ab ingrediente Religionem pe-
tere vel pacisci certam pecuniæ summam, v. g.
eum non fore suscipiendum, nisi secum attulerit
mille florenos, aut nisi tantundem solverint
illius parentes aut consanguinei.

Prob. Quia ejusmodi pecunia videtur accipi vel
exigi tanquam meritamentum susceptionis, adeo-
que ut pretium pro re spirituali, quod est Simo-
niacum. Cæterum circa Moniales nonnulli
existimant, aliter esse sentiendum, præsertim
si earum Monasteria sint minus opulenta; nam
hujusmodi pecunias ab ingredientibus Religionem

vel Monasterium suum erigere videntur, non valent inuitamentum quoddam susceptionis, sed precise pro vestitu et victu ingredientium, quibus prebendis alias non sufficere videntur Monasterii facultates; adeoque non ut pretium pro re spirituali, sed pro temporali.

Licitum etiam est dare vel accipere aliquid pro victu et vestitu Novitii; idque expresse permittit Concilium Tridentinum Sess. 25. de Regular. c. 16. Ubi prohibet dumtaxat, ne ante professionem quocumque pretextu à parentibus, vel propinquis, vel curatoribus ejus aliquid ex ejusdem bonis Monasterio tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, p. 13. excepto victu et vestitu Novitii, vel Novitii illius temporis, quo in probatione est. Ratio autem est, quod huiusmodi datio rei temporalis pro re temporali interveniat, puta ut Religionis onera subleventur, que ipsa in se suscipit, dum Novitium instruendum et alendum admittit; ac proinde nulla huiusmodi committitur Simonia.

66.

Aphorismi.

- I. Ut valida sit Susceptio Novitii non solum Abbatis, sed et Capituli consensus requiri videtur.
- II. Susceptio Novitii illicita est, quam non precepit informatio super vitam, moribus, qualitatibus, parentibus ejus, p.
- III. Licet valida sit Susceptio alicujus candidati ad Religionis Novitiatum, aut etiam professionem, si fiat cum labe Simonia, est tamen illicita.
- IV. Monasterium aliquid pro victu et vestitu Novitii accipiens minime peccat, minus Simoniā contrahit.

§. Secundus.

Conditiones Novitiatus ex parte suscepti exhibentur.

67. 1^a Conditio ex parte suscepti ad Novitiatum est aetas legitima: circa quam sciendum, quod licet olim qualibet aetas fuerit apta, ut Deo in perpetuum obsequium offerri posset, novissime tamen Concilii Tridentini Sess. 25. de Regular. c. 25. iure ante annum 15^{um} aetatis non sit inveniendus Novitiatus, aut si citius inchoetur, protrahendus sit usque ad

annum aetatis 16^{tu}m completum; eò quòd ante
hanc aetatem professio valida esse nequeat ex Decreto
ejusdem Concilii loc. cit.

2^a Conditiò est usus rationis. Evidens quippe est, 68.
quòd mentis impositio probari nequeat; quo fit, ut, si quis
tempore inchoati Novitiatus per mensem unum vel
duos destitueretur usu rationis, tale tempus non possit
computari ad annum probationis; quin potius illum
interromperet, adeò quidem, ut Novitius sana menti
restitutus adhuc per integrum annum probandus
esset.

3^a Conditiò est libertas à vi et dolo et metu gravi 69.
injustè incussò immunis. Ratio est; quia coac-
tum sacrificium Deo gratum esse nequit. Pec-
cant graviter ergò, qui aliquem ita cogunt ad in-
gressum Religionis; eò quòd taliter coacto gravis
inferatur injuria. Nihilominus talis Novitia-
tus esset validus, adeò, ut si Novitius postea pon-
te suà ac libere vellet profiteri, ad professionem
admitti possit.

4^a Conditiò est Sexus convenientia, seu pro- 70.
fessio erit omninò nulla, si v. g. vir occultatò
Sexu vellet suum Novitiatum instituire, ac
postea profiteri in Monasterio mulierum, vel mu-
lier in Monasterio virorum. Ratio est; quia
ex parte Religionis deest potestas suscipiendi alte-
rum sexum in Congregationem, juxta Can. 22. 18.
q. 2. Hinc etiam hermaphroditus non potest va-
lidè suscipi in cujusque Sexus Cenobio; quia aliis
scandalum et offendiculum probere possit.

5^a Conditiò est potentia ad servanda Statuta re- 71.
gularia; quia alioquin falsa esset Novitii pro-
missio, quò se obligat vivere secundum Regulam,
id est, juxta normam regularium Statutorum.
Validus tamen esset Novitiatus, sicut et subsecuta
Professio, dummodo servari possint essentialia
puta tria vota paupertatis, castitatis, et obedi-
entia.

6^a Denique Conditiò saltem valde utilis est, 72.

38.

ut Novitius sciat, quem sibi finem primarium, ac principalem proponat ea Religio, in qua profiteri cupit; nunc primario vita contemplativa, vel activa, vel etiam mixta addita sit. Quod de

Notandum est, illos Ordines esse vite contemplative, qui ex primario Regula sua instituto, vel constitutionum vi pure et toti incumbunt ad vacandum Deo per orationes, contemplationes, lectiones, et similia exercitia ad contemplationem pertinentia; quae quidem physice sunt diversi actus, moraliter tamen unum quid sunt propter finem, ad quem ordinantur, qui est vacare Deo. Hujus vite genus profitebantur antiqui Monachi, qui sub S. Antonio, Basilio, p. vitam agebant solitariam in desertis; et etiamnum hodieum profitentur Chartusiani, Camaldulenses, p. Ordines vero vite activa sunt, qui ex instituto incumbunt actionibus, quibus proximi necessitatibus succurritur per opera misericordiae; tales sunt Ordines Militares, et Hospitalarii, p. Denique Ordines mixta vite dicuntur, qui ex instituto contemplationi rerum divinarum simul et operibus charitatis erga proximum vacant et se impendunt; ut sunt omnes ferme, paucis dumtaxat exceptis, Religiosi Ordines. Haec inquam Novitius scire debet, ut vitam et mores suos, iuxta finem, quem sibi ea Religio, quam profiteri vult, proponit, componere valeat.

73.

Aphorismi.

I. Ut valida sit professio, requiritur 1^o aetas legitima, puta annus aetatis 16^{tus} omnino completus. 2^o Usus rationis. 3^o Libertas à vi, dolo, et metu gravi immunis. 4^o Sexus convenientia. 5^o Potentia ad servanda Statuta regularia, saltem ea, quae sunt de Status Religiosi essentia.

II. Utile admodum Novitio est, ut Religionis, in qua profiteri cupit, finem primarium ac principalem sciat.

S. Tertius.

Observanda in Novitiatu, necnon
Obligaciones ac Privilegia Novitiorum
exponuntur.

Quatuor praecipue hic nobis explicanda veniunt: 74.
1^o Quodnam sit Magistri Novitiorum munus et offi-
cium. 2^o De tempore Novitiatus ejusque inter-
ruptione. 3^o De causis ejiciendi Novitii, ejus-
que renuntiatione. 4^o Denique, quoniam
sint Novitiorum libertas, jura, privilegia et
obligaciones. huc claritatis ac vitanda confu-
sionis gratia singulis titulis expediemus.

I.

De munere et officio Magistri
Novitiorum.

Ex munere et officio Magistri Novitiorum 75.
facile intelligunt novelli Religiosi, quae et qualis
eorum conversatio esse debeat. De eo itaque sic
statuit SS^{mus} Legislator noster Benedictus c. 58.
Reg. Senior talis ei s. Novitio deputetur, qui su-
per eum omnino curiose intendat, si verè Deum
quærit, si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam,
ad approbria, prædicentur ei dura, et aspera, per
quæ itur ad Deum. Ex his S. B. N. Benedicti
verbis, quibus omnes Novitiorum Magistri cuius-
cumque demum Religionis se accommodare de-
bent, sequentia inferri possunt

1^o Singularem industriam, ac vigilantissimam 76.
curam adhibere debere Novitiorum Magis-
tros, ut in notitiam venire possint, quo spiritu
agantur Novitii illi, qui eorum cura sunt con-
crediti. Diligenter exquisant, ait de Novitio-
rum Magistro Clemens VIII. in Decreto super recep-
tione Novit. an. 1602. die 19. Maji, quo Spiritum,
quæ mente, ac voluntate in regularis vite ge-
nus elegerint, quem finem sibi proponerint,
num delò melioris frugis, ac perfectionis vite,
et ut Deo liberius famulari possint, an potius levi-
tate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato

animò ducantur? Ecce officium Magistri simul et Novitii: Magistri quidem, ut Super Tyronem quotidie attendat, et observet illum in minimis, in incepsu, in oculis, in gestibus, in loquela, in suis actionibus et operibus, ex quibus de internis conjecturare possit, an scilicet ex toto corde Deum et salutem suam querat: Novitii verò, ut sciat, sibi in Religione vitis suis moriendum, et vitam emendandam esse, necnon totum ac unicum ejus negotium in eo versari, ut Deo impensè famuletur, et ad perfectiorem Christianam aspiret.

77. 2^o. Quatuor in specie à S. B. N. Benedicto memorari, in quibus Novitiorum Magister suum Tyronem observare debet: 1^o. Si verè Deum querit. Multi enim querunt in Monasteriis solam commoditatem, ut sint benè provisi: undè habentes alimenta, et ea, quibus tegantur, eis contenti haud sunt, sed eligunt meliora et molliora, delectantur auribus, horrent asperiora, querunt superflua, &c. Alii querunt honorem, et isti horrent humiliactiones, ac confusiones. Alii quidem querunt Deum, sed non verè, quia tepidè; sunt enim frigidi, tepidi, ignavi, exori labores, servant disciplinam prorsè ad oculum Superioris, in cujus absentia sibi omnia licere putant. 2^o. Si sollicitus est ad opus Dei, id est, an libenter psallat in choro, digne cum interno affectu; non coactus, sed ex devotione, reverenter, integrè, cum spiritu: item an alias libenter cum Deo agat in meditatione vel oratione mentali, lectione spirituali, frequentatione Sacramentorum. 3^o. Si sollicitus sit ad obedientiam. Status enim Religiosus sine obedientia vacuum est et inanis. Hinc Cassianus lib. 4. Instit. c. 8. vult, ut Magister Novitiorum doceat juniorem prorsus suas vincere voluntates, quem studiosè et diligenter in his exercens, haec illi semper procurabit de industria imperare, quo senserit animo ejus esse contraria. 4^o. Si sollicitus sit ad opprobria, supple, patienter toleranda. Patientia certè est lapis lydius, quo spiritus bonus probatur; hinc S. B. N. Benedictus nemini in Religionem concedit ingressum, nisi prius in patientia virtute

probatu fuerit. Si veniens, inquit ut. cap. 58. illatas
sibi injurias post quatuor, aut quinque dies visus fue-
rit patienter portare, annuatur ei ingressus.

3^o. Inferes, quod Magister Novitiorum sibi conve- 78.
ditas animas moliter, ac delicate tractare non de-
beat, ut sic re vera experiantur, Religionem esse
domum luctus, ac locum poenitentiae, in qua oportet
mortificare membra, et crucifigere carnem cum
concupiscentiis suis. Hoc exigit S. P. N. Benedictus,
cum ait: Gradicentur ei / Novitio: / Dura et aspera,
per qua itur ad Deum. Qui enim in Novitiatu
austeritatibus non assuescit, post Professionem
minis subibit jugum, Superioribus laborem faciet,
aut certe recalcitrabit. Seduit ergo ille Magis-
ter suos Tyrones, qui eos per viam latam ac mollem
ad Deum vult ducere, cum constat, quod talis lenita
ducat ad infernum; et ex opposito, angusta ac spi-
nis obruta sit via, qua itur ad Coelum. Erant
etiam in Novitiis, qui adversus Magistrum suum,
quod nimis dure ac severe cum eis procedat, conque-
runtur; nam austeram hanc agendi rationem
exigit ejus officium, exigit et proprius ipsorum No-
vitiarum profectus. Unde quidam apud Chima-
cum grad. 4. suadebat: Ex omnium mortalium
genere quare natura et ingenio asperinum, et
severissimum vita et morum tuorum instituto-
rem, et perseverando apud illum quotidie subsan-
nationes et ludibria velut lac et mel bibe. Ad-
de id, quod P. Francois in medulla reg. c. 6. docet,
ubi, Novitii, inquit, unice poenitentiam ama-
bunt, ut pote omnis Religionis basin, ideoque
quocumque carni contraria sunt, obvius vultu
constanter amplecti conabuntur.

4^o. Inferes, incurrere Novitiorum Magistro, ut 79.
suis Tyronibus Regulam, quam suo tempore profi-
teri volunt, exponat; sic, ut omnes difficultates,
austeritates, incommoda, labores, quos observa-
tio Regula solet offere, minime ignorare possint.
Hinc est, quod S. P. N. Benedictus praecipiat ut. c. 58.
ut Regula Novitiis ter per annum probationis

prolegatur. Ipsi Magistro praterea inuumbit, ut per saluberrimas exhortationes hujusmodi Tyrones ad studium virtutis incitet, ipsisque inuulget, quod suo proprio iudicio ac voluntati nunquam inuiti, sed ductum Magistri in omnibus sequi debeant. Et hoc est, quod S. Laurentius Justinianus lib. De obed. c. 20. exigit à Magistro Novitiorum, Omni, inquit, seculitate exercendi sunt in Religione rudes, ne pereffluant, ne torpeant, ne obdurescant, ne suo inuitantur sensui, proprioque duantur arbitrio, sed, tanquam divino oraculo, suo in omnibus credant Paedagogo, et ipsius in uicis obtemperent voluntati; nolint discernere, quare, ad quid precipiat, illo neminem iudicent sanctiorem prudentiorumque, ipsum parè diligant, ipsum uenerentur, ipsi tota deuotione famulentur.

Aphorismi.

- I. Magister Novitiorum suo minime fungitur officio, nisi studiosa, ac sollicita cura attendat, quo spiritu ducatur Novitius.
- II. Si Novitius uerè Deum querit, si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria patienter toleranda, hæc sunt, quibus spiritus ejus dignosci potest.
- III. Religiosi Tyrones molliter ac delicate in Novitiatu tractari non debent, ne post Professionem recalcitent.
- IV. Novitio non sunt occultanda incommoda, labores, austeritates, ac difficultates, quas Regule observatio afferre solet.

II.

De tempore Novitiatus, ejusque interruptione.

Conclusio prima.

Annus probationis debet esse completus, ut quis deinde ad Professionem admitti possit.
 Prob. Lina S. B. N. Benedictus, quem in hunc sequuntur plerique Religiosi Ordines, c. 58. sua

43.
Regula prescribit annum Novitiatûs completum.
Inno. d. 1. de Regular. c. 15. his verbis: Nec, qui minore tem-
pore, quam per annum post susceptum habitum
in probatione steterit, ad professionem admitta-
tur; professio verò antea facta sit nulla, nullam-
que inducat obligationem ad alius Regula,
vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad
aliquos quorumque effectus. Ceterum Sixtus
V. privilegium concessit Dominicani; in quo etiam
alii Ordines communicant: quod Novitius vel No-
vitia in articulo mortis, nondum expleto Novitiatûs
annò, possit licite et valide professionem emittere,
nisi adsit impedimentum status.

Conclusio secunda.

82.
Non sufficit, si annus probationis sit moraliter
completus, sed debet esse mathematicè integer,
computando de momento in momentum, et su-
peraddita die integrâ in annò bissextili. Ita
communiter Theologi.

Prob. Lucia cit. Concil. Trid. non nisi post an-
num integrum probationis ad professionem ad-
mitti permittit, et si minus est tempus, eam
declarat nullam: integrum autem est id,
cui nihil deest. Ergò juxta Concilium Trid.
nulliter proficitur, qui tentat profiteri an-
nò nondum verè et mathematicè completo.

Dices. Barum pro nihilo reputatur, et incep-
tum pro completo habetur. Ergò videtur, quòd
huc sufficiat moralis integritas anni unius.

Resp. neg. cons. Hæc axiomata huc locum ha-
bere nequeunt; quia agitur de forma amissio-
ne, quæ etiam in minimò vitiat actum; un-
dè nec dies, nec hora, imò nec quadrans deesse
potest. Vid. Reiffenst. in lib. 3. Decret. tit. 31.

Conclusio tertia.

83.
Tempus ultra annum extendi nequit saltem
vi Concilii Tridentini, nisi ob graves rationes.

Prob. quia Concilium Trid. cit. Sess. 25. c. 16. ait,

44.

quod Superiores, finito Novitiatus tempore, quos habiles invenerint, admittant ad professionem, aut eos à Monasterio eiciant.

Diximus, Nisi ob graves rationes. Quia fieri potest, ut quis post annum probationis nequum sit habilis ad professionem emittendam, sive ob morbum, quo laborat; sive ob defectum status requisite, aut sufficientis litteraturae, &c. Hinc ex Decreto Sacrae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Congregationis anno 1570. hujusmodi Novitii Tyrocinium, donec talia impedimenta cessent aut tollantur, prorogari poterit. Neque etiam S. B. N. Benedicti Regula, si adsint urgentia impedimenta, talem prorogationem prohibet; cum aliunde constet, quod hic S. Pater noster omnia prudenti Abbatis dispositioni relinquat.

84.

Conclusio quarta.

Annus continuus esse debet. Ita glossa in Cap. Ad Apostolicam. De Regular. Sylvester verbo Religionis. q. 4. et alii possim.

Prob. Quia quando jus certum tempus sit annuum, mensem; requirit, intelligendum est de tempore continuo, ut docet Joannes Andreas in cap. i. De Elect. in 6. Item quia annus assignatur, ut Novitius experiatur austeritates Ordinis: has autem melius experitur continuando, quam dividendo probationis suae annum. Hanc tamen dierum interpolatio non impedit moralem continuationem, Leys. lib. 2. c. 41. Dub. 4. n. 59.

85.

Aphorismi.

- I. Ad professionem admitti requirit, qui integrum probationis annum non explevit.
- II. Hic annus mathematicè integer et completus esse debet, computando de momento ad momentum.
- III. Tempus Novitiatus vi Concilii Tridentini, nisi ob urgentes satis rationes, ultra an-

num extendi non debet.

IV. Annus autem continuus sit, oportet, quamquam paucorum dierum interpolatio non officiat.

III

De causis ejiciendi Novitii, ejusque renuntiatione.

Causae ejiciendi Novitium plerumque recensentur 86.
 Levi possunt. Sunt autem potissimum sequentes: 1^o. Si laboret uno ex iis impedimentis, quae superius jam recensuimus. 2^o. Si sit propensus ad rixas, jurgia, subornationes, &c. Hujusmodi enim homines in Communitatibus non sunt tolerandi. 3^o. Si agere ferat correptiones, mortificationes, &c. 4^o. Si in gravioribus excessibus lapsus fiat recidivus. 5^o. Si nimis sit sollicitus ad obedientiam, et tepidus in exercitiis spiritualibus paragenis deprehendatur. 6^o. Qualibet transgressio casuum à Clemente VIII. reservatorum. 7^o. Denique, si gravi sive mentis, sive corporis defectu laboret. Haec sunt potissimum causae, ob quas Novitius à Monasterio et Religione ejici potest; ubi autem haec et fortè aliae causae deficiunt, tunc sine peccato expelli haud potest; videturque esse peccatum mortale, si sine justà causà Novitius ejiciatur. Ratis est; quia plerumque graviter laeditur charitas; eò quod Novitius privetur magnò beneficiò vitæ Religiosae. Tèimè talis expulsio ut plerimum cedit in ejus infamiam; adeoque etiam virtuti Justitiae adversatur in re magni momenti.

Nec obstat, quod Novitius deserens Religio- 87.
 nem sine causà tantum venialiter peccet; nam Novitius cedere potest et actu cedit juri suo; at Religioni Capitulares non possunt cedere bono, quod inde toti Religioni obveniret, nec bono spirituali, quod subtrahunt proximo.

46.
38. Sed hic occurrit questio, cujusnam scilicet auctoritate et consensu, si Novitius ejiciens sit, fieri debeat expulsio? ad quam

2
26

Resp. Si Novitius ob aliquem defectum vitio-
rum expelli debeat, regulariter requiri videtur
judicium omnium Capitularium. Ratio est,
quia hic agitur de re gravissima, qualis est Re-
ligionis acquirendus vel perdendus; unde cau-
tius hic procedendum. Diximus regulariter,
nam si de vitio, vel defectu, aut inhabilitate sa-
tis constat, atque manifesta habetur certitudo,
sufficere videtur judicium et consensus Super-
ioris, simul, et Magistri. Haec de causis eji-
cendi Novitium: modo pauca adhuc addenda
sunt de ejus renuntiatione.

39. Per Renuntiationem autem intelligitur ces-
sio omnium bonorum temporalium facta ir-
revocabiliter in favorem tertii. circa quam
Invenitur 1^o An et qualiter ingrediens Reli-
gionem de rebus suis disponere possit?

Resp. ex Concilio Tridentino Sess. 25. de Regul.
c. 16. invalidas esse omnes donationes et renun-
tiationes Beneficiorum Ecclesiasticorum, Offi-
ciorum Secularium, bonorum suorum, etiam
juramento firmatas, quas faciunt Novitii, nisi
fiant 1^o intra duos menses proximos ante profes-
sionem. 2^o Ut fiant cum licentia Episcopi,
vel ejus Vicarii generalis. 3^o Ut professio va-
lida subsequatur. Barb. ad ut. c. 16. Trident.

Excipiuntur tamen ab hac Constitutione con-
tractus onerosi v. g. emptionis, venditionis, p.
item Testamentum, vel donatio mortis causa,
quia haec semper revocari possunt. Item si
Novitius Monasterio aliquid pro victu, et vesti-
tu donat. Barb. in ut. c. 16. Trident. n. 28.

Præterea in multis locis non est unum receptum,
ut ab Episcopo petatur licentia disponendi de re-
bus suis. Barb. ibid. An autem haec Constitutio
etiam in hunc casum extendatur, quo Novitius

adhuc in Saeculo existens, proinde nondum Novitius proprie dictus, aliquid donat intuitu ingressus in Religionem disputant Doctores. Nobis videtur affirmativa probabilior, et menti Tridentini, quod cavet, ne Novitii ullo modo à regressu impediantur, conformior. vid. Engel, n. 29. lib. 3. tit. 31.

Quaeritur 2^o. In cuius favorem renuntiatio à 90. Novitiis fieri possit aut debeat?

Resp. Ipsi planè liberum esse, cum parentibus, vel consanguineis, vel amicis alteri, vel etiam Monasterio relinquere velit bona sua: perfectior tamen est ea renuntiatio, quae in favorem Monasterii fit. Ratio est; quia charitas exigere videtur, inquit Rottner q. 6. a. 3. ut prius et plus diligantur fratres et consanguinei Spirituales, Christi fratres et coheredes, quam consanguinei secundum carnem, ab illis, qui volunt vivere secundum Spiritum, et Christum sequi, relictis omnibus etiam Patre, Matre, Fratere, et Sorore, ac nihil Christo charius habere. Exigit insuper titulus gratitudinis, ut illis magis gratos nos exhibeamus, à quibus majora bona accepimus; Sed susceptus in Monasterium: suscipiendus autem sperat: majora bona, Spirituality scilicet una cum alimentis corporis recipit. Ergò. Ipsa denique ratio postulat, ut qui se ipsum Deo offert per professionem Monasticam seu Religiosam, Deo quoque offerat, et consecret bona sua, ut plenior sit oblatio, et acceptorium sequatur suum principale: sic enim promovetur cultus Divinus, dum Religiosorum numerus augetur, et Monasterium à suis oneribus aliquo modo sublevatur. Ita primi Christiani Collegio Apostolico et communitati detulerunt et obtulerunt bona sua temporalia, aut eorum pretium.

Confirmatur ex S. Augustino in Regula sua c. 2. et 3. ubi, quae aliquis habebant, inquit, quando ingressa sunt Monasterium, libenter velint idem esse commune. Nec extollantur, si com-

48. nuni vitæ de suis facultatibus aliquid contulerint, nec de suis divitiis magis superbiant, quia eos Monasterio partiuntur, quam si eis in saeculo fuerentur.

91. Aphorismi.

I. Ad hoc, ut Capitulares denegent Novitiis Inceptionis votum, requiritur gravis causa, alioquin immunes à peccato mortali esse nequeunt.

3
27
II. Expulsio Novitii ob defectum vitiorum regulariter fieri debet cum consensu omnium Capitularium. Si tamen vitium idem omnino certum sit et manifestum, ad expellendum Novitium sufficere videtur auctoritas Superioris et Magistri.

III. Invalida est Novitii renuntiatio quaecunque, nisi fiat intra bimestre ante professionem, atque valida subsequatur professio.

IV. Novitius sua bona, cui vult, renunciare potest, licet forsitan ea renuntiatio perfectior sit, quae fit in favorem Monasterii.

IV.

92. De libertate, juribus, privilegiis, et obligationibus Novitiorum.

Quaeritur 1^o Utrum Novitii intra annum probationis pro libitu Religionem desere possint?

Resp. affirmative cum communi et certa Theologorum, ex cap. Consulti. et cap. Statuimus. de Regularibus et transeuntibus p. Ibi: Statuimus, Novitios in probatione positos ante professionem emissam ad priorem statum redire posse liberè, id est, etiam non petita vel habita licentia Superiorum. Ratio ibidem habetur; cum quilibet possit renunciare ei, quod pro se novitum introducit. Videntur tamen peccare venialiter Novitii, si absque sufficienti causa à Religione recedant; talis enim receptus non caret levitate et inconstantia.

93. Quaeritur 2^o Quibus juribus ac privilegiis gaudeant Novitii?

Resp. 1^o Generalis Regula est, quam communiter tradunt Theologi, Novitios scilicet gaudere omnibus privilegiis Religionis, quam intraverunt. Ratio est; tum quia licet Novitius in effectu nondum sit

Religiosus, tamen in favorabilibus Novitii veniunt nomine Religiosi, arg. Cap. Religiosi. 21. §. Iuamris. De Sentent. excommunic. in 6. Quia Novitii sunt sub potestate Religionis, et hō modo sustinent onera illius. Ergo dignum est, ut privilegia ejusdem participant, iuxta Reg. 55. juris in 6. Qui sentit omnes, sentire debet et communodum. Hinc gaudent etiam privilegio Sori et Canonis, textu expresso cit. Cap. Religiosi. Gaudent Indulgentiis, quibus gaudent Professi. Insuper lucrantur Indulgentias plenarias, quando sacro habitu induuntur, ex concessione Pauli V. per Bullam *Cum sicut*. apud Cherubin. Constitut. 68. dicti Pontificis. Item Novitii soli de more recitantes in choro Horas Canonicas satisfaciunt præcepto loci Professorum, dummodo tot numero adsint, quot requiruntur ad constituendum corpus, seu communitatem aut Collegium.

Inquitur 3^o. Qua sint obligationes Novitiorum? an videlicet teneantur ad tria vota, præcepta Regulae et Statuta? Item an egrediens à Novitiatu teneatur solvere expensas, quas pro victu et vestitu, morbis, ac aliis necessariis pro ipso fecit Monasterium?

Resp. 1^o. Novitii neque ad tria vota, neque ad præcepta, neque ad Statuta, neque ad horas Canonicas per se et directè, ac sub culpa tenentur. Ita communiter Theologi contra nonnullos alios arbitantes, quod, etsi Novitius non teneatur ex voto aut vi Regulae, teneatur tamen ex præcepto Superioris sub culpa ad observationem regularem. Ratio nostra responsionis est; quia Novitii nec ad tria vota, nec ad aliam regularem observationem se obligarunt, sed solum adsunt probaturi et expectaturi regularem observationem.

Resp. 2^o. Nihilominus ex honestà et magnâ decentiâ ad præfata tenentur. Ita sensus communis Theologorum. Ratio est; quia dignum est, ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, simi-

4
28
lem etiam sentiant in legibus disciplinam, Cap. Reco-
lentes. 3. De Statu Monach. Item, iuxta dicta, No-
vitiū gaudent privilegiis Professorum. Ergo æquum
est, ut etiam sentiant onera eorundem, Arg. Cap.
Qui sentit. 5. 5. De Reg. Jur. in 6. Accedit, quod
aliis, facile sequi possit perturbatio et confusio in
Monasterio, ad quam evitandam sacrum suscipi-
endo habitum tacite se obligasse merito censen-
tur.

Resp. 3^o. Insuper tenentur Novitii sub poenā ad
omnia præfata, ita ut eam pro exigentiā trans-
gressionis et arbitrio suo Superior eis imponere
possit, quamdiu in Religione manent, ac in eā
perseverare cogitant. Ita iterum communis
Theologorum. Ratio est; quia natura probatio-
nis postulat, ut qui sub perpetuā obedientiā ac ali-
is præceptis et Statutis vivere probat, non tantum
in actibus obedientiæ probetur, sed etiam tentetur,
num positas pro transgressionibus poenas sustinere,
suaque voluntatem et iudicium abnegare pos-
sit, ac velit; alias enim sufficienter probari non
possent.

Resp. 4^o. Novitius sponte vel coacte egrediens
ad vias tenetur expensas in sui victum, vestitum,
et in alia necessaria et consueta à Monasterio faci-
tas, nisi de earum solutione pactum intercesse-
rit Novitium inter et Monasterium, aut legitima
extet consuetudo. Ita communis Theologorum.
Ratio est; tum quia iuxta Concilium Tridenti-
num supra laudatum Novitii debent posse libere
redire ad seculum, si velint. Atqui soepe non
possent libere ad illud redire, si tenerentur ad ex-
pensas, ut pote quas vel non haberent, vel non nisi
cum magnā difficultate habere et dare possent;
sicque quodammodo coacte manere deberent:
tum quia redditus Monasterii non tantum ad alendo-
rum Professos, sed etiam Novitios ordinati sunt: tum
quia Novitii etiam sua ministeria exhibent

Religioni. Ergo dignum est, ut à Religione, quam-
diu ei servant, sustententur. Nec refert, quod
expense subinde excedant ministerium Novitii,
quia hoc proorsus est per accidens, nec Novitio daretur
aliquid eam quo labores illius excederent expensas
à Monasterio in sui sustentationem factas, prout
facile contingere potest.

Diximus, Nisi de earum solutione pactum in-
tercesserit, aut consuetudo existat, prout in mul-
tis Monasteriis, praecipue Monialium contingit.
Tunc enim expensas à Novitio solvendas esse Docto-
res communiter observant. Arg. Concilii Trident.
Sess. 25. de Regular. c. 16. Ubi prohibetur dari vel
accipi aliquid de bonis Novitii, excepto victu et vesti-
tu: Si enim pro hoc licet aliquid dare et accipere,
licet etiam parisci, ut datur; quo facto utique
dandi erit obligatio, cum pacta sint servanda Cap.
1. et 3. de pactis. et nihil magis humanae fidei con-
gruat, quam id praestari, quod inter contrahentes
actum est. Non tamen ab egressu impediri potest
Novitius donec solvat; sed si tunc non habeat, poterit
postea conveniri.

Aphorismi.

95.

- I. Novitii possunt pro lubitu deserere Religionem
quamquam venialiter peccent, si absque sufficienti
causa ab eà recedant.
- II. Communis est Doctorum affectio, Novitios gau-
dere omnibus privilegiis Religionis, quam intraverunt.
- III. Ceterum nec ad tria vota, nec ad statuta, vel
praeccepta Religionis per se et directe ac sub culpa
tenentur, bene tamen ex honesta et magna de-
centia.

Documentum.

96.

En haecenus dictis facile intelligent Novitii, qui-
busnam conditionibus Novitiatu, eorum officii de-
beat, et quanam eos agere oportet, ut ad sacram
Professionem admitti mereantur. Fratres, si
omnes expulsionis causas et rationes à se remove-
ant, atque ita bonam induant indolem, ut toto

52.

Novitiatibus in curricula Deo ac hominibus per omnia
placantes, sacro Deum Ordini cooptari valeant.
Cogitent, se manum jam misisse ad aratrum sanctae
Agriculturae, à quo recedere minime consultum est:
Nemo enim mittens manum ad aratrum, et respici-
ens retrò, est aptus regno Dei, inquit Christus, ipse
Luce. 9. v. 62. Fratremur equidem, Novitium
absque peccato mortali castra Religionis deserere
posse, non tamen veremur dicere, eum in magno
salutis huius periculo versari, cui solordia quaedam,
vel languor, aut tepor, aliave prava animi capi-
ditas, quae facile superari potuisset, egressus, vel
ejectionis ansam praeberet. Quid enim periculo-
sius, quam Deo vocanti obsequi nolle? Neque enim
vocationem suam in dubium revocare debent prop-
terea, quod in Religione quaedam experiri cogan-
tur difficultates. An nesciunt, quod vita Reli-
giosi sit continua natura violentia? An igno-
rant, quod sub spinoso capite non deceat membrum
esse delicatum? Num eos latet, quod angusta sit
via, quae ducit ad coelum? Certè si propter diffi-
cultates, labores, et afflictiones, quibus subiacet Reli-
gio, Deseri ipsa deberet, jam diu evanisset omnis
sacer Ordo. Nemo ergo Novitiorum à sacra Reli-
gione ob illius difficultates facile recedat, sed po-
tius divinae charitatis adminiculo studeat illius
amaritudines vertere in dulcedines; ubi enim
amor, ibi labor non est: Hic siquidem omnis sine
onere portat, et omne amarum sapidum, ac dulce
efficit, inquit Gessen noster de imit. lib. 3. c. 5. Non
ibiis pavore perterritus, ait S. B. N. Benedictus in Pro-
logo Reg. refugias viam salutis, quae non est nisi an-
gusto initio incipienda, procepsu vero conversationis
et fidei dilatato corde inenarrabili dilectionis dul-
cedine unitur via mandatorum Dei.

Capitulum Quintum.

De Professione Religiosa.

97.

Explicatis iis, quae Novitiatum Religionis spectant,
ratio instituti nostri exigit, ut ad Professionem,
quae velut terminus est et consummatio ipsius Novi-